

creti : *scripto formiter edita*, explicatur in sequenti Decreto :

« 1. Quæritur : An per verba *dummodo formiter scripto edita fuerint*, sufficiat quod sint subscripta a Sacræ Rituum Congregationis Præfecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munita ; vel potius requiratur, ut sint vel Romæ vel ab Episcopis in suis Diœcesibus promulgata ? »

« 2. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam : An tamquam *formiter edita* habenda sint Decreta et Responsiones in authentica Collectione insertæ ? »

« Et Sacra Rituum Congregatio, post diligens omnium examen, respondere rata est : Ad 1. Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. Ad 2, Affirmative ; uti patet ex adjuncta Declaratione. » (Decret. 8 Aprilis 1854, n. 3023, antiq. 5202.)

3. Ad dubium : « An Decreta Sacræ Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariæ invectæ consuetudini, etiam immemorabili ; et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam ? » S. Congregatio respondendum censuit et rata est declarare : « Affirmative ; sed recurrendum in particulari. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 13, antiq. 5102, ad 16.)

II. Quando S. Rituum Congregationis Decreta habent conditiones requisitas ad rigorosum Decretum, aliquid præcipiens vel prohibens ; ex. gr., si tenor est : *servandam esse, vel eliminandam esse consuetudinem, ita rescripsit et servari mandavit, etc.* ; aut si versantur circa Rubricas, easque declarant et interpretantur ; seu in particulari casu earum sensum determinant, ut quævis ambiguitas auferatur ; tunc sunt præceptiva, ex natura sua vim legis habent, extenduntur quantum ipsa liturgica lex extenditur, et obligant sub peccato, vel gravi vel levi pro materiæ natura. (Cfr. Decretum supra citatum tertio loco.)

Attamen, etiam pro hujusmodi Decretorum universali obligatione, sapienter vult S. Congregatio, ut quando difficultas oritur ex peculiari conditione locorum, sive ex consuetudinibus quæ rationabiles esse possunt, etiamsi Decreta vim legis habeant, atque ex

se idonea sint ad consuetudines abolendas, tamen semper recurratur in particulari, cum non semper et non omnes consuetudines derogationi absolute subjiciantur.

NOTA. Arbitrantur quandoque nonnulli plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata, quæ sese inter adversa fronte repugnent. Respondetur eos errare quam maxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu : ignorare, habendam esse quandoque rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductæ, et difficillime sine offensione et scandalo abrumpendæ ; neque considerare, in aliquibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis, a juris rigore consulto posse vel debere recedi quoad ea quæ circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulæ noxa inferatur. (Cfr. Suffragium super Decreto 22 Martii 1827, n. 2661, antiq. 4636, Vol. Collectionis IV, pag. 298.)

Nemo non videt, in propositis casibus, in quibus Sacra Congregatio in minimis et usque ad pulverem, ut dicitur, identidem descendere cogitur, ob hujusmodi causas, aliquando ipsam posse vel debere recedere a decisis ; attamen hæc recessio in legum declaratione rarissime contingit, et si contingit, tunc standum est posterioribus Decretis.

Q. 14. *Da sensum quarundam formularum, quæ in responsis S. Rituum Congregationis usitata sunt.*

R. Propriam habet S. Rituum Congregatio respondendi ad propositas quæstiones rationem : Præmisso titulo (cf. Q. 12, I), et exposito brevi ratione dubio, suam responsionem communiter exorditur per formulam cujus tenor seu sensus est : *Et S. Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, et exquisito voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris (vel hodie dum sæpius Commissionis Liturgicæ, cfr. Q. 9, Nota), omnibus maturo examine perpensis, respondendum (vel rescribendum) censuit.* — Sequitur tunc dubii resolutio brevissima, quæ plerumque continetur uno verbo *Affirmative*, vel *Negative*, prout respondendum censet. — Tandem clauditur Decretum per verba : *Atque ita respondit (vel decrevit, vel rescripsit, vel ordinavit, vel declaravit)*, addito sæpe *et servari mandavit*. Indicatur in fine dies, mensis et annus prolatis Decreti. Rarius S. Rituum Congregatio rationem reddit suæ responsionis.

Formula hujusmodi communis est ; sed patet variationes posse dari in diversis casibus, ex. gr., quando Decretum generale editur motu proprio.



Quasdam formulas resolutionis proprie dictæ placet hic ulterius exponere :

1° *Affirmative*, vel *negative*, in casu de quo agitur ; — prout jacet. — Hac formula S. Congregatio declarare intendit solum dubium propositum, ita ut cæteris casibus non omnino similibus declarationem suam applicare nolit.

2° *Affirmative*, vel *negative*, et ad mentem : vel juxta mentem. — Indicatur annexa esse responso monitum aut elucidationem, ad seu juxta cujus sensum ipsa Congregatio responsum dedit. Ordinarie sequitur : *Et mens est, quod etc.*

3° *Affirmative*, vel *negative*, vel in decisio et amplius. — Significat causam satis superque fuisse discussam et decisam, et amplius non haberi sermonem de hac, seu amplius proponi vetitam. Reperiuntur hæc verba et amplius in variis Decretis præcedentium editionum Collectionis, quorum pleraque e nova editione fuerunt expuncta.

4° *Nihil* ; item *Non expedire*. — Idem est ac : non admittitur petitio, ut incongrua.

5° *Lectum* ; *relatum*. — Intellige : cum lectum aut relatum fuit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum. — Ipsa S. Congregatio significavit aliquando lectum idem esse ac *reprobare morem*. (Cfr. Decreta 15 Maji 1664, n. 1287, antiq. 2267 ; et 15-18 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563.)

6° *Dilata*. — Significat responsum nondum dari ; vel ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis. — In antiquis Decretis reperitur etiam aliquando *dilata* resolutio, quia quæstio non fuit bene posita : nonnumquam tunc fuit additum : *Scribat alter* ; *Iterum proponatur* ; *Dubium reformetur*. Hæc tamen in recenti editione non amplius prostant.

7° *Dentur Decreta* ; *juxta alias decreta*. — Significat in anterioribus Decretis dubium propositum jam fuisse solutum, eaque Decreta, quæ plerumque citantur, esse consultanda. — Et si aliquando consulens instat, respondetur etiam : *Standum in decisio*.

8° *Provisum in primo* ; — *in secundo* ; *etc.* — Indicat in præcedenti numero aut membro primo, secundo, etc.

ejusdem consultationis, seu ejusdem Decreti, in quo plura dubia simul proponuntur, responsum jam fuisse datum et haberi.

9° *Serventur Rubricæ*. — Hujusmodi responsum est formale mandatum ; scilicet : dubium propositum est contra Rubricas, hæc serventur ; vel : dubium propositum spectat observationem Rubricæ præscriptæ, hæc sequenda est, servetur ; quasi diceretur : fiat tantummodo quod Rubrica præscribit, nihil mutando, nihil addendo, nihil omittendo.

De hac resolutione dicunt Ephemerides Liturgicæ : « Cum S. Rituum Congregatio respondet quæsitis illi propositis : *Serventur Rubricæ*, cum facile tamen respondere posset : *Negative*, significare intendit, id quod petitur nolle se permittere, quia vel in toto vel in parte a Rubricis dissonum. Hinc quæstionem indirecte quidem, sed absolute dirimit, inquirentem remittendo ad Rubricas. Ejusmodi autem posita responsione, adhuc posse fieri juxta petita, quæ concessa non sunt, sustineri non potest ; sed Rubricæ omnino servandæ, prouti jacent. » (IV, 1890, pag. 641, in Nota.)

10° *Facto verbo cum Sanctissimo*. — Hac formula injungitur, quando de re graviore agitur, ut rescriptum, vel resolutio S. Congregationis referatur Summo Pontifici ; qui cæteroquin S. Congregationis judicium approbare solet. — Sequitur enim sequens formula in casu post ipsum Decretum : *Facta postmodum de his SSmo Domino Nostro Papæ per Eum Dnum Cardinalem Præfectum* (vel *per Secretarium*) *relatione, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit*. Quæ confirmatio ordinarie datur paucos post dies.

11° *Consulat probatos auctores*. — Cum aliquando ipsa legitima auctoritas ob quædam motiva censeat magis decere ut absteat a resolutione ferenda, hac adhibita formula, postulantes remittit ad probatos auctores et leges morales prudentiæ. — In recentiori Collectionis Decretorum editione quædam ex hujusmodi responsionibus omissæ fuerunt una cum propositis dubiis, quædam locum dederunt determinatæ resolutioni, paucæ tantum remanserunt.



Animadvertere hic juvat, quod non raro difficultas oritur ex intellectione Decretorum, quæ non omnibus, ut par est, pervia censetur; quorum consonantia non facile ab omnibus reperitur; et ex quibus non omnes eruere valent principia pro applicatione legis liturgicæ ad singulos casus; eo vel magis quod facta exponi soleant brevissima synoptica ratione. Genuina Decretorum mens determinanda et haurienda sæpius esset ex fontibus, seu præparatoriis scripturis, seu votis, quæ pro decisionibus in Congregatione distribuuntur et leguntur, et in quibus controversiæ exponuntur, quæstionum status cum adjunctis explicantur, rationum momenta adducuntur, et ipsa dubia proponuntur solvenda. Verum hæc documenta plerumque desunt, et in Collectione Decretorum nonnisi pro paucis Decretis reperiuntur. Uti notatum fuit in responso ad Q. 11, hæc Vota et Suffragia eruditissima proponuntur in volumine quarto recentioris editionis Decretorum, ad instar Appendicis ad Collectionem. — Perspicax liturgicus prudentem aptitudinem acquirere studebit, ad recte judicandum, et valorem principiorum et legum juste æstimandum.

### ARTICULUS III

#### De diversis Liturgiis quæ hodie apud Catholicos in usu sunt

Q. 15. *Indica diversas quæ hodiedum in usu sunt Catholicas Liturgias.*

R. Apostoli a Christo Domino edocti, accepto Spiritu sancto, SS. Sacrificium offerebant secundum exemplar a Magistro acceptum, stabilientes ubique gentium eundem cultum, eandem Liturgiam. Hæc Apostolorum Liturgia tribus prioribus sæculis immutata remansit, et quoad essentiam conservata nobis est in Libris II et VIII Constitutionum Apostolicarum communiterque nominatur **Liturgia Clementina**.

Verum, uti gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus religionis cultumque divinum diversis postea usi sunt institutis, quæ, salva Christianæ fidei integritate, vix possent ab eis vel omitti, vel auferre. Propterea decursu temporis, sæculo præsertim quarto, in diversis regionibus varii efformati fuerunt, et etiam nunc remanent ritus, quibus Officia divina persolvuntur et Sacrificium offertur. Ad hæc scribebat Pius IX in Constitutione *Romani Pontificis*, 6 Januarii 1862 :

« Fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. » Et in Litteris Apostolicis ad Orientales, 6 Januarii 1848 : « Omnino sartas tectas habebimus peculiâres vestras Catholicas Liturgias, quas plurimi sane facimus, licet illæ nonnullis in rebus a Liturgia ecclesiarum latinarum diversæ sint. Enimvero Liturgiæ ipsæ vestræ in pretio pariter habitæ fuerunt a Prædecessoribus Nostris, utpote quæ et commendantur venerabili antiquitate suæ originis et conscriptæ sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerunt, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur. »

Quæ Catholicæ Liturgiæ hodiedum adhuc in usu sunt, generatim distinguuntur **Orientales** et **Occidentales**, et sequentes enumerantur :

A. **LITURGIÆ ORIENTALES**, quæ originem ducunt ex antiquissimis Liturgiis Apostolicis tribus, Sancti Petri scilicet, Antiochiæ instituta; Sancti Marci, Alexandriæ observata; et Sancti Jacobi, Hierosolymis adhibita :

1° **Liturgia Græcorum**, quæ Sanctos Basilium et Joannem Chrysostomum sæculo quarto reformatores primitivæ S. Jacobi Liturgiæ habuit. Distinguuntur in ea :

a) Ritus Græcus purus, qui non habet hierarchiam constitutam; qui eum sequuntur sunt sub jurisdictione duorum Delegatorum Apostolicorum qui resident Athenis et Constantinopoli. Italo-Græci, in Italia, Sicilia et Corsica sunt sub jurisdictione Ordinariorum ritus Latini.

b) Ritus Græco-Rumenus, in Austria-Hungaria usitatus; habens sedem metropolitanam unam cum tribus suffraganeis.

c) Ritus Græco-Ruthenus, in Austria-Hungaria; habens sedem metropolitanam unam Leopoli (Lemberg), in Galicia, et sex Episcoporum sedes; præterea sunt in Russia ejusdem ritus tres Episcoporum sedes.

d) Ritus Græco-Bulgarus, in Turchia Europea; pro